



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXV. De Numero Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](#)

C O N T R O V E R S . L X I V .

D E N U M E R O S A C R A M E N T O R U M .

DN statu Innocentiae seu Naturae integræ nullum de facto fuisse Sacramentum, passim omnes Theologi docent, quidquid sit, an Adamo non peccante Sacramenta nihillominus instituta fuissent. Utrum in statu Naturæ lapsa ante Circumcisionem fuerit aliquid Sacramentum, non convenit inter Doctores; et si opinio affirmativa sit longè communior & probabilior. De statu Legis Veteris & Novæ.

P A R S P R I O R

D O C T R I N A E C A T H O L I C O R U M .

I. **D**octrina prima. Sacraenta in Lege antiqua seu Moysaica fuerunt plura. Ita Catholicæ, habenturque ex Concilijs Florentino & Tridentino, cum comparant nostra Sacraenta cum Sacramentis antiquis, & in hoc solum ponunt differentiam, quod nostra causent gratiam, non antiqua, sed figurant dandam per nostra. Quænam autem illa fuerint: & quām convenienter illorum causa extiterit, pulchre ostendit S. Thomas 1. 2. q. 120. art. 5. qui videri potest, cum de his non adeo controvèrtatur, sed maximè de novæ Legis Sacraenta.

II. Doctrina secunda. Sacraenta in Nova Lege sunt septem nec plura, nec paticiora. Ita omnes Catholicæ, & definitur à Tridentino Sess. 6. càn. 1. Siquis dixerit, Sacraenta Novæ legis non fuisse omnia à Christo Iesu Domino nostra instituta, aut plura vel pauciora esse, quām septem; videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam unctionem Ordinem & Matrimonium; aut etiam aliquod horum non esse verè & proprie Sacraentum, anathema sit. Et licet hic numerus nec in sacris litteris, nec in Patrum Scriptis diserte positus reperiatur, tamen ab Apostolis traditus est juxta regulam S. Augustini Lib. 4. de Baptismo c. 24: quod ûniversa tenet Ecclesia, nec Concilijs statutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolicâ auctoritate traditum esse, restat creditur. Cur autem Christus Sacraenta septennario numero concluderit, duas potissimum rationes à Theologis afferri solent ex duplice fine petitæ; quorum prior fuit omnium hominum necessitati tam privatae quam publicæ consuere: posterior, hominem omni genere virtutum armare. Primum igitur declarat S. Thomas 3. Part. q. 65. art. 1. similitudine corporis humani, quod pro seipso 1. indiget generatione, 2. augmentatione, 3. nutritione, 4. medicina, 5. corroboratione virium, 6. pro Republica, atque in primis Magistratu. 7. denum, pro prolis propagatione. Sic anima spiritualiter generatur Baptismo, augetur Confirmatione, nutritur Eucharistiæ, curatur medicinali Penitentiæ, corroboratur Extremâ unctione: Ecclesia necessarius Magistratus datut per Ordinem: proles per

Matrimonium, ut nihil desit cuiquam in ulla gratia. Alterum sic explicamus. Armatura spirituali septem præcipuae virtutes sunt necessarie. Namirum tres Theologicæ Fides, Spes, Charitas: Et quatuor Cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia, quibus totidem Sacraenta respondent. Fidei Baptismus. Spei Confirmationis. Charitati Eucharistia. Justitiae & Pœnitentia. Fortitudinis Externa unctio. Prudentiae Ordo, Matrimonio & Temperantia. Ita Christus sapientissime omnia dispositus in Numero Pondere, & Mensura Sap. 11. num. 21.

III. Traditionem, quā, ut diximus, nitimus in tenendo Sacraentorum septennario, nonnulli Doctores ex antiquis Patribus copiose demonstrant. Nos plura dicemus agendo de singulis Sacramentis. Nunc unus S. Augustinus omnium instar nobis sit. Is igitur agnoscit Baptismum & Eucharistiam L. 3. de doctr. Christ. cap. 9. sic scribens: Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustiniana, & conservatione castissima ipse Dominus & Apostolica tradit disciplina, sicut est Baptismi Sacramentum, & celebratio Corporis & Sanguinis Domini. Agnoscit Confirmationem Lib. 2. contra litt. Petilian. c. 10. his verbis: In hoc inueniente Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium sacro-sanctum est, scilicet ipse baptismus. Agnoscit Pœnitentiam Lib. de adulterinis conjugiis cap. 26. & 28. sic loquens: Eadem est causa Baptismi & Reconciliationis, sine quibus homines credunt, se non debere exire de corpore. Agnoscit ordinem Lib. 2. contra epist. Parmen. c. 13. ubi: utrumque, inquit, sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur: istud cum ordinatur, idemque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterare. Agnoscit Externam unctionem serm. 215. de Tempore, ubi haec habet Quoties aliqua infirmitas supervenit, Corpus & Sanguinem Christi ille, qui agrotat, accipiat: ac deinde Corporum suum ungat, ut illud, quod scriptum est, implatur in eo: confirmatur aliquis, inducat presbyteros & oreni super eum ungentes oleo. Agnoscit denique matrimonium Lib. 1. de Nupt. & Concupisc. cap. 10. ubi haec leguntur: Hujus Sacramenti res est, ut mas & femina connubia copulati quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent. Similia S. Pater de singulis ex septem Sacraentis haber alibi, nec ullum esse puto; quin recipiendo Sacraentorum numero tanto Ecclesiæ Doctori non consentieendum censeat.

P A R S P O S T E R I O R.

E R R O R E S H Ä R E R T I C O R U M .

IV. Error primus est. In veteri Testamento duo tantum propriæ dista Sacraenta fuerunt. Ita Gerhardus Lib. 2. Part 2. fol. 862. & ceteri hæretici solasti Circumcisionem, & Essem Agni Paschalis pro Sacraentis agnoscentes. Errorem hunc reiciunt SS. Patres & Catholicæ Doctores, plura Sacraenta in veteri Testamento quam duo affirmantes. D. Augustinus Epist. 118. ad Ianuar. Christus, ait, Sacraenta numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis Societatem novi populi colligavit, sicut est ba ptismus

baptismus Trinitatis nomine consecratus: & communicatio Corporis & sanguinis Domini. Cum autem sciamus S. Patrem in Testamento novo septem Sacra-menta agnoscimus, & tamen plura afferat in veteri Lege, absque dubio fuerint plura, quam duo; quod etiam aperte docet & ostendit S. Thomas loc. cit

V. Error secundus. Incredibilis hæretorum variatio circa numerum Sacramentorum in Novo Testamento. Unum Sacramentum nempe Baptismum afferuit Lutherus in lib. de capit. Babyl. si, inquit, *juxta Scripturam loquendam*. Sed ibidem Baptismo Eucharistiam & Pœnitentiam addit, & sic tria admittit. In fine deinde duo retinet; quamvis in medio ejusdem libri etiam septem rejicere non velit. Melanchthon in suis locis Com. anno Christi 1536. 43. 52. & in Apologia Confessionis Augustanae art. 12. affirmat Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam (quod ultimum prioribus annis rejecerat) esse verè & proprie sacramenta. Doctores Wittenbergici in Synodo Lypsiæ celebrata anno. 1548. (cui interfuit Melanchthon) statuerunt septem Sacraenta esse admittenda. Postea tamen conluserunt, quinq[ue] esse retinenda. Joan. Gerhardus de Sacramentis in communis fol. 860. sic pronunciat: *Duo tantum Sacraenta Novi Testamenti sic proprie dicta sunt, Baptismus & Eucharistia.* Zwinglius in lib. de verba & falsa Religione tria Sacraenta statuit Baptismum, Eucharistiam, & Matrimonium. Calvinus Lib. 4. Inst. c. 19. §. 18. & 20. ait quidem duo tantum esse Sacraenta, nempe Baptismum & Cænam; mox tamen §. 21. Sacraenta annumerat ordinationem, ut tria Sacraenta amplecti videatur; quamvis Amelius Tom. 3. fol. 45. absolute afferat, nos duo tantum Sacraenta Novi Testamenti agnoscimus, ut ita plerique hodie tam Calvinistæ, quam Lutherani Binario Sacramentorum sint contenti. Videantur DD. à Walenburg Tom. 2. fol 15. & apud hos, quid in hoc negotio Wicleffus scriperit. Probant Sectarij opinionem suam hisce fere arguentis 1. Sacraenta Novi Testamenti respondent Sacramentis veteris Testamenti; in eorum enim locum successerunt. Atqui in Vet. Testamento duo tantum fuerunt propriæ dictæ Sacraenta. Circumcisio & Agnus Paschalis. Ergo &c. 2. Sacra Scriptura nullibi dicit, septem esse Sacraenta; imò eadē negat esse, dum Apocal. 17. v. 7. Angelus vocat Sacramentum Bestiam, que septem cornua habebat. Ergo septenarius Sacramentorum numerus potius ad Antichristum pertinet, qui per illam Bestiam significatur. 3. Antiqui Patres & Doctores Catholicæ tantum haec duo agnoverunt. Nam S. Augustinus de catechismo c. 4. ait: *existit sanguis & aqua, que sum Marris Ecclesie genuina Sacraenta.* Rupestris Abbas Tuitiensis ante 500. annos in lib. 12. de viet. verbi DEI cap. ii. interroganti, quot sunt Sacraenta; respondet duo. Alexander Aelenus Franciscanus ante annos 400. in Summa Theologiae Part. 4. q. 8. memb. 7. art. 2. ait, videri duo tantum Sacraenta. 4. Duo bus tantum convenit definitio Sacramenti, nempe Baptismo & Eucharistie; non item cæteris. Ergo &c.

VI. Hunc errorum jam rejecimus ex authoritate & Traditione Ecclesiæ, quæ certè hæc in re magni facienda est, quia nec id quidē satis perfectum habere possumus, quænam sit ratio & essentia seu Materia & Forma Baptismi & Eucha-

risteriæ, quæ tamen Sacraenta ab omnibus mittuntur. Nam tametsi Christus dixerit & præcepit Apostolis, ut baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: itemque Eucharistiam sub ea forma tradiderit, *hoc est Corpus meum &c.* nihilominus non idcirco sciremus in ijsipsis verbis ejusmodi Sacramentorum formam confitere, aut ea necessariò per modum formæ adhibenda & pronuncianda esse, nisi id Ecclesiastica Traditione ita doceret; quando alias etiam Apostolus Coloss. 3. v. 17. præcipit, *ut quodcumque facimus, in verbo & in opere, omnia in Nominis Domini IESU Christi faciamus;* non utique ea verba semper pronunciando, sed actiones nostras ad Christi gloriam dirigendo, atque in ijs Christi open invocando. Hanc Sanctæ Matris Ecclesiæ traditionem & directionem insuper habentes hæretici in turpissimam illam, quam vidimus, opinionum varietatem devenierunt, ut nec Lutherani cum Calvinianis, neque illi aut isti inter se consenserint. Probationes, quas pro se affuerunt, ob ignorantiam, fraudem, & caluniam non quidem merentur refutationem, & ex diis facile refelluntur. Nihilominus breviter.

VII. Respon. ad i. negando in primis Majorem. Ex quo enim Scripturæ loco haberut, Sacraenta utriusque Testamenti debere numero esse paria? Deinde in quo loco Scripturæ etiam Circumcisio & Agnus paschalis vocantur Sacraenta? non negamus nullæ Sacraenta; sed solum quærimus, unde Adversarij contra negantem probare possint, cum nullibi hoc nomine appellentur? Demum Minorem falsam esse, paulo ante ostendimus in refutatione primi erroris; communiter enim docent Theologici s. Thoma 12. q. 102. art. 3. & 5. cit. in Veteri Lege p̄t̄ter Circumcisionem & Agnum Paschalem, Sacraenta nullæ Esum Panum propositionis, Ordinationem & Unctionem sacerdotum; Ablutiones quædam, & omnia Sacrificia expiatoria pro peccatis immunditiam aliquam legem tollentia &c. Ad 2. nullam esse consequentiam: hoc non est in Biblijs; Ergo non est credendum; quia non omnia credenda in Biblijs sunt expressa, ut diximus in Controv. de Sac. Scriptura. Quod additur ex Kemnitio de Beftia Apocalypticæ, est calunnia, quæ redundat in ipsos hæreticos; si enim septem Sacraenta nostra sunt septem cornua Antichristi, necesse est, etiam Baptismum & Eucharistiam esse cornua Antichristi; quæ tamen ipsimet Sectarij admittunt. Adhac per septem Capita intelliguntur septem Reges, non septem Sacraenta. Videatur textus. Ad 3. S. Augustinum non dicere, quod duo tantum sunt Sacraenta; sed quod tantum duo fuerint significata per aquam & sanguinem latere Christi crucifixi profuentes. Si etiam aliqui Patres ex hoc loco duo Sacraenta tradunt, non idcirco alia negant. Idem si per Sanguinem Eucharistia fluxit ex latere, ubi Panis? fluxit ne iste etiam ex latere Christi? nisi sub una specie malunt nobis Cremam dare. Cæterum Patres aliter etiam hæc explicant, & duo Baptisma per sanguinem & aquam designari volunt; unum in Sanguine, id est, Martyrium: alterum in aqua; Baptismum. Videatur Maldonatus sup. cit. loc. Joannis. Ad Rupertum quod attinet, non magna est ejus autoritas apud Catholicos, cum manifeste errarit circa Sacraenta, ut ostendit Bellarminus de Scriptorib. Ecclæsticis V. Ruperts. Deinda

Deinde falso citantur ejus verba; non querit, quod sunt Sacraenta, sed quod sunt præcipua Sacra-
menta? neque respondet esse duo, sed tria Bap-
tismum, Eucharistiam & Pœnitentiam. Alexan-
drum Alensem quoque falso citant, quia non ex
sententia sua dicit, esse tantum duo Sacra-
menta, sed per modum obiectionis opponit, videri
tantum duo, cui obiectioni responderet & ostendit,
esse septem. Ad 4. negando solum duobus, & non
cæteris quinque convenire definitionem Sacra-
menti; imo in hoc omnia septem Sacraenta
convenire univocè supra jam diximus, & est hæ-
sententia nunc communior inter Doctores, ut
testatur Tanner Tom. 4. D. 3. Quest. i. n. 45. Nec
doctrinam nostram oppugnare possunt hæretici,
qui sua Sacraenta è medio tollant, ut satis ex
dictis patet.

CONTROVERS. LXV.

DE EFFECTU SACRAMEN-
TORUM.

Effectus Sacraenta in communi tres al-
signantur. Gratiæ habitualis seu San-
ctificans, Actualis, & Charakter. Ut au-
tem hi effectus habeantur; imo ut ipse
valor etiam Sacraenta subsistat, certa in susci-
piente requiritur dispositio, de quibus omnibus
hic decidendum.

PARS PRIOR

DOCTRINÆ CATHOLO-
CORUM.

i. **D**octrina prima. Sacraenta omnia Novæ
Legis in Suscipiente rite disposito caufant
Gratiæ sanctificantem. Ita definitur in varijs
Concilij & novissime in Tridentino Sess. 7. can. 6.
Siquis dixerit, Sacraenta Novæ Legis non continere gratiæ,
quam significant, aut gratiam ipsam non-ponentibus
obicem non conferre, anathema sit. Conscientium quo-
que Græci & Latini Patres apud Cardin. Bellar-
minum Lib. 2. de Sacram. in commun. cap. 6. &
7. Sumitur hæc veritas ex ijs Sac. Scripturæ locis,
in quibus Sacraenta conferre dicuntur effectus
gratiæ sanctificantis, scil. Remissionem peccatorum,
justificationem, salvationem, mundationem, vivificatio-
nem &c. ut Baptismus Ephes. 5. v. 29. Confirmatio
Aëtorum 8. v. 17. Eucharistia Joan. 6. v. 58. Pœ-
nitentia Joan. 20. v. 23. Extrema uncio Jacobi 5.
v. 13. Ordo 2. Timotheum i. v. 7. Matrimonium
Ephes. 5. v. 31. relinquens homo Patrem & Matrem suam,
& ad herebit uxori sue, & erunt duò in carne una; quæ
unio supponit unionem animorum per gratiam;
etenim disidentibus animis nec stabilis cohabitatio,
nec copula fideliter servatur. Præter gratiæ
sanctificantem conferri etiam à Sacramen-
tis Virtutes infusas, & dona Spiritus Sancti tan-
quam individuos comites illius tradit Concilium
Tridentinum Sess. 6. c. 7. ubi dicitur homo in ipsa
Justificatione hac omnia simul accipere Fidem, Spem, Cha-
ritatem &c. ut perinde sicuti per Gratiam partici-

pamus divinam naturam, ita per virtutes divi-
num operari.

ii. **D**octrina secunda. Sacraenta Novæ Legis
non-ponentibus obicem conferunt gratiam ex o-
pere operato. Ita omnes Catholici, habenturque
itidem ex Trident. Sess. 7. cit. can. 8. Siquis dixerit,
per ipsa Nova Legis Sacraenta ex opere operato non con-
ferri gratiam, anathema sit. Pró intellectu hujus do-
ctrinæ sciendum, duplacet esse modum causan-
di gratiam; unus dicitur ex opere operato: alter
ex opere operantis. Ille actus dicitur ex opere
operato conferre gratiam, qui vim habet confe-
rendi gratiam non propter bonitatem & meritum,
sed propter institutionem divinam; sicuti ablutio
Baptismi parvulis nihil merentibus, & peccami-
nose à Sacerdote administrata tamen infundit
gratiam: Ille vero Actus, qui ex vi sua bonitatis ac
meriti confert gratiam, ut opera charitatis, di-
citur conferre gratiam ex opere operantis. Jam
omnia Sacraenta ex institutione Christi homi-
nibus rite dispositis conferunt gratiam, ut si pec-
cator cum sola attritione confiteatur, quæ per se
non sufficeret ad delenda peccata mortalia, nisi
accederet absolutio Sacramentalis à Christo in-
stituta.

iii. **D**octrina tertia. Quædam Sacraenta ex
vi sua institutionis conferunt primam gratiam:
quædam secundam. Ita omnes Catholici, pro cu-
jus intelligentia sciendum, Gratiam primam &
secundam intrinsecè & essentialiter non differre,
sed tantum extrinsecè per connotationem subje-
cti vel imbuti gratiæ, vel ista privati; si gratia per
Sacraenta collata inveniant subiectum omni
gratiæ substituti, dicitur gratia prima: si vero
inveniat id jam ornatum gratiæ, dicitur secunda,
sicuti in alteratione naturali numerantur i. 2. 3. &c.
gradus. Jam quædam Sacraenta instituta sunt
ad remittenda peccata mortalia, quod fit per pri-
mam gratiam, ut Baptismus & Pœnitentia, que
idcirco vocantur Sacraenta Mortuorum, ut illos
vivifcent: cætera quinque instituta sunt ad au-
gandam & perficiendam gratiam per accessum
ulterioris gratiæ, quæ proinde requirunt subje-
ctum jam gratiæ informatum & vivificatum, at-
que ideo vocantur Sacraenta vivorum. Quod si
contingat, eos, qui suscipiunt Sacraenta mortu-
rum, jam esse vivos, & gratiæ imbutos, tunc Sa-
cramentum superveniens confert gratiam secun-
dam, & ipsa perceptio tanquam actus meritorius
adhuc aliud incrementum gratiæ ex opere opera-
to adjungit. Si vero contingat, eos, qui suscipi-
unt Sacraenta vivorum, destituti primæ gratiæ,
quam bonâ fide habere arbitrantur, tunc prohæ-
bile est, quod præter alios tenet. Arriaga de Sa-
cram. in genere Disp. 16. Sect. i. illis conferti pri-
mam gratiam, dummodo generali dolorem ha-
beant de suis peccatis. v. g. aliquis in statu pecca-
ti mortalis subito applexiā tangitur, ut ratione
destitutus non possit confiteri, sed accipit extre-
mam unctionem, cuius virute per accidens acqui-
ret primam gratiam & remissionem peccatorum
aliquin damnandus, modo prius generali
aliquem dolorem habuerit de suis peccatis. Vide-
ri potest cit Author, cuius sententiam plures nunc
Recentiores amplectuntur, nec alienius ab eadem
est Card. Bellarm. Lib. 4. de Eucharist. c. 19.

iv. **D**octrina quarta. Non omnia Sacraenta
parem gratiam conferunt, sed unum majorem al-
tero, prout ipsum majoris est dignitatis. Et quo-

H h h

siam